Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1571
Quelle:
Copyright:

est Wyenne a ciuibus et fratre suo duce Alberto anno domini 1450.

Z. Albertus archidux fratri suo imperatori Friderico vendidit partem suam hereditariam, quam habuit in Stiria, Karinthia et Kraen; hic interemit quosdam de ciuibus Wyennensibus Holczer magistrum ciuium, et plures alios de consilio duobus militibus capita fecit amputari Anno domini 146 (3).

Dux Sigismundus An der ethsch fuit excommunicatus a domino papa pyo secundo propter violentiam commissam in suum episcopum et episcopatum.

Ladislaus rex Ungarie &c. rex Bohemie &c. dux Austrie &c. obiit prage in die clementis Anno domini 1457. Sepultus in monte sancti Wenzeslai.

Dux Christofforus natus et postea statim obiit Anno domini 1456. Sepultus in noua ciuitate in monasterio sancte trinitatis, quod fundauit pater suus.

Dux Maximilianus natus in die cene anno domini 1459.

V. *fol.* 157. Visio secundum quietem oblata M. *Henrico de Hassia* germanice. Absque inscriptione, sed in calce: *Dy weyssagung dy maister Haynr. von Hessen ist fur chamen in seynen schlaff.* Initium: *In dem nam gottes ihesu christi an dem auffertag nach der metten da ich lag in meinen gepet vnd dy wart* (worte) *dy Dauid an dem psalter gemacht hat. do gedacht ich an dy chlagleich chlag vnd rach dy geschehen ist enhalb mer zu ierusalem* &c. Imitatio *Danielis*. Comparet ei Vir Episcopi habitu, crucem manu tenens, multa praedicens de mutuis Regnorum devastationibus, de punienda Praelatorum ambitione et avaritia, maxime Cardinalium, quos deinceps solum ait vocandos Presbyteros et Diaconos Romanos, nullum Praelatum a temporibus *Nicolai* III. (1277 — 80.) fuisse absque Simonia; tandem vero a Germanis et Francis eorumque Imperatore restituendam dignitati suae Romanam Ecclesiam, cumque *Henricus* quaereret tempus restitutionis hujus, incepturam illam ait anno, cujus numerum recentior calamus corrupit ita, ut nunc legas *M° CCCCCXXX primo*, quorum elementorum CXXX adventitia sunt, deletis quibusdam post M. Nullus ambigo Vaticinium istud suppositum fuisse *Henrico* nostro, utpote, qui ipse Tractatum contra *Joachimum*, *Thelesphorum* et similes *Videntes* scripserit, quem habes *Bern. Petzii Thes. Anecd.* T. I. P. 2. *col.* 505. Possessor *Schröterus* sua manu Exemplo Vaticinii nostri adscripsit: *An hæc ita sint futura omnia, ex his* (Sec. XVI.) *motibus facile a quouis colligi potest.*

VI. *fol.* 158. Acta et Compactata inter Ordines Regni *Bohemiae* et Oratores Concilii *Basil.* cum *Pragae* 1433. et 35. tum *Iglaviae* 1436. Initium: *In nomine*